



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Panegyricvs, Die Natali Academiae Theodorianae
Paderbornensis, Reuerendissimo, atq[ue] Illustrissimo
Principi, ac Domino, Theodoro, Episcopo Ecclesiae
Paderbornensis, S. R. I. Principi, Fvndatori Eivs ...**

Horrion, Johann

Paderbornæ, 1616

Capvt VI. Paderborna Imperatorum in Vvestphalia proprium domicilium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14243

modo posse. Tunc denique Antistites perinde erant animati, atq; te, Princeps Illustrissime, nunc videmus, vt me hæc ipsa reputantem spes oblectet fore, vt, cum tu nobis Meinverci, atque Imadi felicia tempora restituas, si hæc iuuentus ad omne decus nata, tuis sapientissimis consilijs, optatisq; respondeat, ex ea Annones, Altmannos, Vicelinos aliquando videamus.

CAPVT VI.

Paderborna Imperatorum in VVestphalia proprium domicilium.

SPERO equidem neminem fore tam duri oris, qui, cum tot Reip. lumina se Paderbornæ exortum, lucemque suam acceptam ferre testentur, etiam ambigat, sitne Paderborna præstantibus ingenijs percolendis idonea. Potest tamen horum sententia sapientissimorum Principum auctoritate confirmari. Sic enim adhuc in deligendo constituendis Academijs loco obseruatum est à prudentibus: quibus in Urbibus Principes commorantur, eadem opera gymnasij celebritate dignas iudicari. Primum enim hoc amore Principem in bonas litteras esse oportere, vt eas, quantum fieri potest, assiduò in oculis, atq; in sinu ferre desideret. Deinde magni referre ad integritatem doctrinæ conseruandam, iuuenumque licentiam refrenandam, ipso Principe, grauißimisque viris, quorum consilijs in Rep. vtitur, arbitris, tractari studia litterarum. Denique, quæ in eligenda sibi sede Principes sequi solent, cæli salubritas, soli vbertas, atq; amœnitas, eorum quæ ad victum cultumque pertinent vilitas, & copia, secura pax, & tranquillitas, aliæq; eiusdem generis commoditates sunt eæ ipsæ, quas spectare Academiarum institutio-
res ju-

res jubentur. Tametsi verò quibus locis ij quoque Princes se tenent, qui non in summo sunt totius Reip. gradu, pleraque minimè abhorrent à rationibus hominum litteratorum, tamen quoniam neque illi prouincias habent amplissimis regionibus terminatas, neque omnes prouinciæ pares rerum omnium honestarum commoditates, perspicuum est, eas demum vrbes, ante alias, bonarum artium gymnasijs accommodatas esse, quas supremi Reip. Princes suo domicilio cohonestant. Porro quamuis in VVestphalia nunquam Imperatores nostri stabilem ac perpetuam sedem constituerint, tamen quotquot adhuc in ea versati sunt, non obscure præ se ferre visi sunt, si quæ eos Reipubl. utilitas in VVestphalam accerferet, non alibi libentius, quàm Paderbornæ habituros esse. Atque ut à D. Carolo Magno Augusto exordiar, qui primus hanc terram non tam vestigijs, quam victorijs peragravit, vbi ille crebrius, vbi diutius morabatur? Vbi contrahebat copias? vbi fessas vires recreabat à prælio? vbi audiebat supplices? vbi jus dicebat populis? vbi respondebat legatis? vbi habebat consilium? vbi leges ferebat? Nonne Paderbornæ? Huc ille anno CHRISTI DCC LXXVII. omnes fermè Saxonie primores congregatos Christiana sacra suscipere, & Sacramentum dicere coegit, nunquam se à I E S V C H R I S T I fide, nunquam à suo posterorumque imperio descituros. Si fallerent, nihil causæ dicturos, quin capite deminuti, libertate, fortunisque omnibus multarentur. Hic eodem conuentu tres Saracenorum Princes inde ab Hispania profecti, sunt auditi. Huc anno DCC LXXXII. ante illustrem illam victoriam, cum ingenti ad Hasam annè prælio prope est debellatum, suos conduxit exercitus. Hic biennio post, iterum concilium habuit, cum à Carolo Iuniorè ipsius Magni filio VVestphali ad Luppiam fusi fugatique

[Ann.
Franc. Re-
gino, &c.]

[Anastasi
Biblio-
thec. in vi
ta Leo-
nis]

[Annales
Ludouic
ci. qui A-
stronomo
tribun-
tur]

tique essent; vnaque jam illa deliberatio perfectam; con-
stantemq; Reip. quietem moraretur, quemadmodum Vi-
ticindus, & Abbio perduellium duces, in regis potestatem
venire possent. id quod haud multò post est adeptus. Deni-
que qui tandem potuit luculentius demonstrare, quanti
ex omnibus VVestphaliæ vrbibus vnam faceret Paderbor-
nam, quàm cum anno DCCCXCIX. Leonem III. Pont.
Max. inaudita crudelitate à consceleratis Quiritibus lin-
gua oculisq; captum, & vrbe profugum accepit? Erat in
Carolo singularis aduersus excelssimum illud Apostolica
dignitatis fastigium pietas, & obseruantia. Erat Leonis ea
virtus, & innocentia, quæ ob admirabilem exacta lingua,
erutisq; oculis videndi, ac loquendi facultatem conserva-
tam diuinitus, vel in priuato coli mereretur. Ipsa deniq;
tanti viri calamitas omnibus se officiis, atque honoribus
leniri, & compensari postulabat. Ad hæc omnia delegit rex
sapientissimus Paderbornam, quæ vna tam augusta illi visa
est, vt non modo duos simul summos orbis Christiani
Principes capere, & complecti posset, sed etiam cum alte-
rius, qui hospitio inuitabat magnitudine animi paria face-
re: alterius qui accipiebatur ita diuturnum, & acerbum do-
lorem, luctumque demere, vr honori non deesset. Neque
verò hoc Imperatoris omnium maximi de Paderborna iu-
dicium, vnà cum ipso extinctum, sepultumq; est, sed per-
uasit, ac permanuit ad posteros. Siquidem Ludouicus Im-
perator cognomento Pius Caroli M. filius, ANNO CHRIS-
TI DCCCXV. cum Haraldus Danorum Rex ab amulis re-
gno pulsus in eius fidem, atque clientelam se contulisset,
opemque posceret, non solum Saxoniam, sed etiam Vanda-
liæ proceres huc cœgit ad commune consilium, cum
de his auxilijs Dano ferendis, tum de ceteris Reipubl. com-
modis. Huius quoque filius item Ludouicus, cui in par-
titione

titione auiti regni, vltior Germania obtigerat, postquam
 Obotritos defectionem molientes, caso eorum rege Goz- [Ann.
 zomuile, bello domuerat, anno proximo sequenti, qui fuit Fran.]
 à C H R I S T O nato D c c c L x v. Paderbornæ genera-
 lem conuentum habuit, cui & fratrum eius Lotharij Cæ-
 faris, & Caroli Galliarum regis, atque etiam Norman-
 norum, Slauorum, Bulgarorum legati interfuerunt. D. ve-
 rò Henrici Imperatoris, vt sanctitate, ita rebus domi, atque
 militia sapienter, & fortiter gestis longè clarissimi, egre-
 giam in hanc urbem voluntatem, qua tandem oratione
 consequar? Num dies vllus Paderbornæ illuxit gloriosior
 quarto Idus Sextiles (qui D. Laurentio Martyri sacer est) [Adelbol-
 ANNI M. II. quo die D. Kunegundis Augusta, D. Henrici dus in vi-
 non tam Imperij, quàm cælestis cuiusdam castimoniam con- ta S. Hen-
 fors, in oculis ipsius Cæsaris, atque omnium prope Germa- rici.]
 niæ Principum, à VVilligiso Archiepiscopo Moguntino in
 æde sacrarum principis, imposito diademate rite est inau-
 gurata? Quando verò Henricus deinde pedem vnquam in
 VVestphaliam attulit, quin Paderbornam reuiferet? Non, [Ditmar^o
 anno M x i i I, cùm Paschales ferias, non altero post anno, Chrō. 6.]
 cùm natalem Christi hîc egit. Non anno M x v i I. cùm, [Idē 1. 7.]
 bellum moturus magnis copijs aduersus Boleslaum Polo-
 niæ Ducem, Kunegundem Augustam huc accersijt. Non, [Vita B.
 propinqua jam morte, cùm diutius Paderbornæ apud Meinver-
 Meinvercum diuersatus, incertum reliquit, plusne am- ci c. 78.]
 plissimis largitionibus huius Ecclesiæ opes auxerit, an vir-
 tutem illustribus sanctitatis documentis inflammavit.
 Quid eius successor Conradus cognomento Salicus? non
 ille anno M x x v. id est ipso principatus exordio, Epiphaz [Chroni-
 niam domini in Paderbornensi ciuitate, vt loquū- con M. S.
 tur annales, more regio peregit? Nonne anno eiusdem P Christo-
 phori Bro-
 vveri]
 I 2 seculi

[Vita S.
Godchar
di c 27.]

[Lamber-
tus anno
1050.]

[In proce-
mio.]

seculi XXX. idem Imperator die CHRISTI natali erat in Ecclesia Paderbornensi, cum Aribogruuissimus, & integer, rimus Archiepiscopus Moguntinus, pro concione, ipsum, Casarem, & Episcopos, qui frequentes conuenerant, ut sibi bona eorum venia Romam pietatis causa proficisci liceret, clerum vero omnem, ac populum, ut remissionem peccatorum sibi à domino exposcerent orauit? Cui affine est, quod de D. Bardone item Moguntino Antistite, qui proximè Aribonem consecutus est, Lambertus commemorat. Is tam admirabili fuit sanctitate, ut eam DEVS luculentis prodigijs illustrarit, tam inusitata dicendi vi, ut Chryostomi nomen inuenerit. Vtriusq; illustre specimen dedit Paderbornæ, coram Henrico Cæsare eius nominis secundo, vel, ut alij malunt, tertio. Ibi enim cum, ut solebat, verba pie, & disertè fecisset in ornatissimo Cæsaris, & Principum consessu, ipso die Pentecostes, denunciauit propediem se moriturum, atq; eodem mense decessit. Denique hodie quoque visuntur Paderbornæ aedes, quas vetus fama est Henrici IV. Imperatoris fuisse, esseque eas, quibus Leo Pontifex, cum apud Carolum diuertisset, est receptus. Neq; verò nunc attinet aliorum Regum ad hanc urbem accessu, ludis equestribus, cæterisq; celebritatibus commemorandis immorari, cum hæc pauca satis ostendant, quo in numero ab ijs, quos adhuc recensuimus, sit habita, in eodem Paderbornam superioribus seculis apud omnes prudentes fuisse, & porro esse oportere. Verè enim ante annos septingentos ad Bissonem quartum huius Urbis Episcopum scriptum est ab erudito scriptore de Translatione Reliquiarum S. Liborij: Inter omnia loca principalibus Ecclesijs constituendis destinata speciali quadam dignitate Paderbornensis sedes præcellit. Neque immeritò ab Erinhero, qui vitam S. Heimeradi Presbyteri Tutelaris

Tutelaribus Hasungensis versibus descripsit, appellatur sedes Regalis. Quid ni enim Regalis, quæ tot Regum studiis est cohonestata? Referam versus expertes illos quidem artis, sed tamen qui veteris memoriæ de Paderborna sententiam, sine fæco, nobis exponunt. Sic enim ille ingressus sermonem de B. Heimeradi cum Meinverco Antistite congressu:

Est locus egregius Patherbrunnon vocitatus: hunc
Is quoq; regalis sedes & Pontificalis.

Quod si quis ergo præterea percunctabitur, quid ita, tot aliis postpositis urbibus, Paderborna publico in VVestphalia gymnasio decoretur? is cognoscat VVestphalis, qui præ cæteris populis sint appetentes humanitatis, & sapientiæ, eius possessionem rem prorsus regiam videri, atque ideò propriam ei sedem ac domicilium, non alibi decuisse, quàm in Regia VVestphaliæ Vrbe collocari.

C A P V T VII.

Nihil Paderbornæ eorum deesse, quæ ad Academię splendorem & commoditatem requiruntur.

ET sanè si faciem, & ingenium loci intuebimur, fatendum nobis erit, nihil vel à prisceis illis Cæsariibus ornatus ad habitationis suæ dignitatem, vel abs te, Princeps Illustrissime, felicius ad commoditatem Studiose iuuentutis reperiri potuisse. Ac primi quidem illi viri sapientes, qui Carolo Magno Cæsare è Britannia delati in Galliam, Parisiensis Academia quasi parentes fuerunt, cum venalem se Sapientiam

[Sangall.
l. r. cap. I.
de gestis
Caroli
M.]